



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica Secunda Adventus. Ad Evangelium de S. Ioanne Baptista
laudato à Christo Domino, quòd esset propheta & plus quam propheta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

DE SANCTO IOANNE BAPTISTA
LAUDATO A CHRISTO DOMINO.

*Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum
meum ante faciem tuam, qui preparabit viam
tuam ante te. Matth. II.*


VERITAS PRACTICA.

Hoc est vere laudabile, laudari ab officio.

*RATIO EST, Quia laudari à voluntate Dei
completa, hoc est vere laudabile.
Sed laudari ab officio, est laudari à voluntate
Dei completa.*

*Ergo hoc est vere laudabile, laudari ab officio,
Quam tamen laudem pauci merentur.*

PUNCTUM.

 *VM* audisset Ioannes in vinculis
opera Christi, mittens duos de di-
scipulis suis, ait illi. Tu es qui ven-
turus es an alium expectamus?
Vide quæ sequuntur ex Evange-
lio hodierno; Et in multis illud
præcipue contemplare, quàm sapienter Chri-
stus Dominus laudet suum Præcurso-
rem ab hoc ejus officio digne gesto. Quanta erant in
Joanne prædicanda? Conceptio mirabilis, San-
ctitas singularis, Solitudo stupenda, Continen-
tia inusitata; nihil tamen horum prædicat Do-
minus; sed hoc unum quod sit Propheta &
plusquam P. opheta, seu quoddam est, quod
sit ille Angelus prædictus à Malachia, qui ali-
ter præcursor dicitur, ad hoc missus à Deo ut
prepararet viam ante Christum, id est, ut dispo-

nat homines ad eum recipiendum Quo nomi-
ne illum præcipue Dominus laudat quia hoc
erat ejus præcipuum officium, ut esset præ-
cursor Domini, quo quidem officio cum præ-
clare fungeretur, hæc erat ejus etiam præcipua
laudatio; Nam hoc est vere laudabile, laudari ab
officio, bene scilicet administrato.

Ratio est evidens, quia laudari à Voluntate
Dei completa seu plane effecta, hoc est vere
laudabile. Hic est enim finis omnis creaturæ ut
sit ad Deum, sicut hoc est ejus principium ut
sit à Deo, qui propterea dicitur *primus & no-
vissimus, a & w. principium & finis*. Est autem
creaturæ ad Deum quod est aliud quam idcir-
co esse ut faciant vel eum seu voluntatem e-
jus? Est igitur earum finis Voluntas Dei. Jam
vero cum res aliqua finem suum perfecte atti-
git, non est perfecta est? si pondus est perfecti, non-
ne tum laudabilis quantum est laude digna?
Sic ergo evidenter apparet, quod laudari à Vo-
luntate Dei, hoc sit vere laudabile.

Sic Angeli nobiliores creaturæ maxime
commendantur cum de his dicitur: *Benedicite* *Psal. 102.*
Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute;
facientes verbum illius, ad audiendam vocem
sermonum ejus. Sic ipse Angelorum & homi-
num Dominus hoc uno se commendabat. *Vt Ioan. 4.*
*faciam, inquit, voluntatem ejus qui misit me, ut
perficiam opus ejus. Possit ne à te cogitari ali-
quid altius & sublimius quod faceres, quam
quod*

quod Deus vult? sed posset ne etiam aliquid aliud cogitari quod te impediret, ne faceres quod ille vult?

II. PUNCTUM.

Sed laudari ab officio rite administrato, est laudari à voluntate Dei completa, seu quàm bene fieri potest, adimplata.

Nam cum semel ex ordinatione divina susceptum est officium quoties bene illud administratur, toties Dei Voluntas efficitur, neque aliter certius & manifestius divina nobis voluntas innotescit, quam per nostrum officium. Quis enim dubitet quin Deus ab unoquoque velit ut id præster quod ab ipso præstandum accepit? Quis sibi non dictum putet ab Apostolo, quod is dicit Archippro, *Vide ministrum quod accepisti in Domino, ut illud impleas?* At de quovis alio bono opere quis ita certus esse potest? Imo quantumcumque bonum sit opus si repugnet officio rite obeundo, tunc desinet opus esse bonum, quia impedit aliud quod est certius bonum. Sed unde est certius bonum, nisi quod est certius à divina voluntate? Atque illud est quod monebat Apostolus; *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus; Et quæ plura pergit.*

Adde hic verò, quod cum officij cuiuslibet plures sint partes seu plures bene gerendi occasiones, quisquis sic omnibus intentus est, ut nullam omittat, verè is dicetur totus esse in Dei voluntate adimplenda, quod non potest dici de alio quolibet bono opere, in quo tam frequens esse non poterit sicut in officio & munere persolvendo.

Denique non una tantum Voluntas Dei in eo fit, sed triplex illa de qua Apostolus: *Probetis qua sit voluntas Dei bona, & bene placens & perfecta*: Nempe cum id fit in substantia quod vult Deus; cum in modo sicut vult; & in fine quia sic vult. O quam præclare tum administratur officium cum sic voluntas Dei adimpletur! & quàm vere tum voluntas divina completeret cum sic præclare administratur officium.

III. PUNCTUM.

Hoc est ergo verè laudabile, laudari ab officio; Cum sit vere laudabile, laudari à voluntate Dei, quæ tantò perfectius adimpletur, quàm perfectius completur ab unoquoque suum vitæ degendæ munus & officium. *Vita in voluntate ejus*: seu naturalis, seu civilis, seu spiritualis vitæ: tota est in voluntate ejus.

Non est quidem humana laus in officio bene gerendo appetenda, sic enim desineret bene geri si propter humanam Laudem gereretur: Sed idcirco dicitur vere laudabile, laudari ab officio, ut intelligas nulla re alia, te ab eo distrahendum, quantumcumque sic illa res laudabilis & appetenda. *Ne accipias faciem ad versus faciem tuam*

Esto sit aliud munus & officium tuo dignius & excellentius, si tamen tuum non est, & illud exercere velis, tuo prætermisso; non modo non laudabile, sed probrosum tibi erit. *Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum; Egrede de sanctuario, ne contempseris quia non reputabitur tibi in gloriam à Domino Deo.* Non qui officium majus & laudabilius gesserit, ille est major & laudabilior, sed qui suum dignius administrarit, quantum illud cumque fuerit. Quid ad te de aliis. *Tu me sequere*, dicebat Dominus Petro; quasi diceret ut interpretatur S. Chrysostomus: *opus suscepisti, id considera, perfice & labora. Quid ad te de Ioanne, tu officium tuum cura & exequere.*

Itane tibi est curæ tuum? Vide in quo deficias & quantum Dei voluntatem amas, quantum à Deo probari vis: tantum fidelis esto in hac parte. *Da mihi Domine sedium tuarum assidricem sapientiam ut mecum sit & mecum laboret.*

Vide infra Férias proxime sequentes Dominicam quintam post Epiphaniam. Et in secunda parte in festo S. Mathiæ, Feria 4. post Quinquagesimam. Feria 3, infra Octavas Ascensionis. Tres primas quæ habentur inter Communes. Et Verbo, Vocatio, Officium, &c.

Coloss. 4.

Rom. 12.

Rom. 12.

Ps. 29.

Eccles. 4.

2. Para. 26

Ioan. 21.

Sap. 9.

IN

IN EADEM DOMINICA
SECUNDA ADVENTVS.

AD HÆC EVANGELII VERBA.

*Cum audisset Ioannes in vinculis opera
Christi. Matthæi II.*

ALIA VERITAS PRACTICA.

Liberior & beator est Ioannes in vinculis,
quàm Herodes in epulis.

RATIO EST, Quia ille liberior *verâ* & bea-
tâ libertate est, qui nulla re detinetur, quo mi-
nus agat quod agendum in Domino viderit.
Sed nulla re Ioannes in vincula: Herodes vero
cupiditate & metu detinetur, quo minus a-
gat quod agendum videret.
Ergo liberior & beator est Ioannes in vinculis,
quàm Herodes in epulis.

UNDE illud ad praxim ducitur, quod
nihil æque servile est & minus libe-
rum quam passio: nulla libertas maior
& carior nobis esse debet quam illa li-
bertas interior, qua solvitur animus omnibus
terrenorum affectuum vinculis.

Prima propositio præsupponit multiplex
genus libertatis de quo fatus alibi. Satis sit
modo triplex illud observare ad quod cætera
omnia revocantur. Primum est malæ cujus-
dam libertatis de qua Apostolus: *Vos in liberta-
tem vocati estis, tantum non libertatem deus in oc-
casione carnis.* Et sanctus Petrus: *Non vela-
men habentes malitiæ, libertatem.*

Secundum genus est indifferentis, qualis est
naturalis & humana libertas, de qua dicitur:
*Deus ab initio constituit hominem & reliquit
illum in manu consilii sui. Apposuit tibi aquam
& ignem, ad quod volueris porrigere manum
tuam.*

Tertium denique est veræ & beatæ liberta-
tis quæ à Spiritu sancto est juxta illud Apосто-
li, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas:* libertas scili-
cet spiritualis de qua sic apud sanctus Leo: *Tunc*

*est vera pax & vera libertas hominis, quando &
caro animo iudice regitur, & animus Deo præsi-
de gubernatur. Et alibi. Cum caro concupiscens
adversus spiritum spirituali cupiditate superat-
tur, tunc libera obtinetur sanitas, & sana liber-
tas, ut & caro mensu iudicio, & mens Dei regat-
ur auxilio. Sic etiam sanctus Augustinus, liber-
tas nulla vita est nisi beatorum, & legi æterna ad-
hærentium. Et rursum; quem delectat libertas, ab
amore mutabilium rerum, liber esse appetat, &
quem regnare delectat, ut omnium Regnatori sub-
ditus hæreat. Ex quibus satis manet probata
propositio.*

Serm. 1. de
Quadr.

Serm. 4. de
jejun. Henr.

L. 1. de lib.
arb. c. 15.

L. de Rel.
c. 48.

Secunda vero patet ex Evangelio, nam præ-
terquam quod sanctam hanc libertatem san-
ctus Ioannes jam aperitè professus erat, cum
Herodem arguit suæ libidinis: nunc etiam in
vinculis ab eodem rege positus, quæ sunt op-
portuna discipulis suis diligenter curat, dum
iplos mittit ad Christum Dominum, à quo dis-
cant oculati testes illum eum esse qui promif-
sus in lege est, & prædictus à Prophetis; cui uni
deinceps toti adhæreant. Hoc est scilicet esse
liberum, hoc est nulla re detineri, non cupidi-
tate honoris quem defert Christo, non metu
mortis quam sibi videt impendentem, & à qua
non petit liberari. Contrà vero Herodes licet
non ignoraret Joannem esse iustum & san-
ctum, licet illum audiret, & audito crederet in
quibusdam bonis patrands: tanta tamen libi-
dine detinetur ut contra fas omne, audeat uxore
fratris abuti, nec sibi videatur posse dissol-
verè tam arcta quibus constringitur pravi a-
moris vincula. Itane vero is poterit dici liber
vera & beata libertate qua sanctus Ioannes?

Marci 6.

Adde, quod cum iurasset saltatrici filix He-
rodiadis, se daturum illi quicquid petisset, pe-
tisset

Gal. 5.

1. Pet. 2.

Ecol. 15.

2. Cor. 3.

tiisset autem caput Joannis Baptistæ: satis vidit Rex Judeus se nullareligione jurisiurandi obligatum, nec nisi summo cum scelere consensurum in necem Vici omnium optimi. Tamen ita timet nescio quid à G illis tum simul discumbentibus, ut illo timore constrictus non aulit denegare quod postulatus est Et hunc diceret fuisse liberum eâ libertate quam unam sancti veram & sanam dicunt? Cave dicas, & Conclude, quod

LIBERIOR igitur sine ulla comparatione & beatior est Ioannes in vinculis, quam Herodes in epulis. Et quis sua se cupiditate sic devinctum esse sine ut quod alioquin bene ageret, tunc non se posse putat, non est ille liber sed servus, & mancipium suæ illius cupiditatis. *Servi sunt Corruptionis*, inquit sanctus Petrus, à quo enim qui superatus est, huius & servus est. Cui subscribens Coapostolus Paulus, Nescitis, inquit, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad iustitiam?

2. Pet. 2.

Rom 6.

Hanc illi scilicet doctrinam & disciplinam à Magistro & Domino suo hausserant qui Judæis affirmarat, *Quod omni qui facit peccatum servus est peccati: & solos illos esse vera liberos quos Filius libera verit.*

Ioan. 8.

Quamobrem hanc excute servitutem, & asere te cum gratia in libertatem filiorum Dei. Vide, ne ullo pravo affectu detinearis, neque rerum prosperarum complacentia, neque adversarum displicentia suas te moveri. Subde hæc animo tuo quasi indigna Christianæ celsitudini. In hoc uno veram libertatem à vera servitute dignosce: *Quasi enim*, inquit sanctus Gregorius, *Quodam iugo servitutis premunt prospera dum appetuntur: premunt adversa dum formidantur. At si qui semel à dominatione desideriorum temporalium colla mentu excusserit, quadam iam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatu afficitur, nullo adversitatu terrore coarctatur.*

3. Mor. 23.

IN EADEM EVANGELII VERBA.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Multi cum Herode Joannem in vinculis tenent.

Rom. 3.

RATIO EST, Quia Joannem in vinculis tenent qui, quod ait Apostolus, Veritatem Dei in iniustitia detinent.

Sed multi veritatem Dei in iniustitia detinent.

Ergo multi cum Herode Joannem in vinculis tenent. Quod patet quam sit horrendum & timendum ne ex illis sis.

PRIMA propositio pendet omnino ex interpretatione verborum Apostoli: *Qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, & perinde est ac si diceret qui cognitam de Deo ac divinis rebus veritatem in iustè ac malignè suppressunt, ac se dissimulant cognoscere ne teneantur facere quod illa veritate cognoscunt faciendum, & quod sua voluntatis pravitate nolunt facere. Quando enim quibusdam aperte apparet Veritas ut omnino eam negare non possint, sentiunt se stimulari ad valendum

& faciendum quod docet: vel si repugnent & nolint id facere, tunc stimulo conscientie punguntur & cruciantur, quo ut se cruciatu liberent, abscondunt & incarcerant quodammodo veritatem, tenent eam velut captivam ne appareat, ne loquatur, & ne stimulum excitet. Hoc est autem quodammodo cum Herode Joannem in vinculis tenere, quia hæc una erat ratio cur Joannem Herodes vinciret & custodiret in carcere. Nempe Joannes Herodi hanc veritatem proponebat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Quâ veritate cum Herodes se primo sentiret commoveri ad coercendam libidinem libido restitit, & in illa resistentia factus est Herodi stimulus & angor mentis quem ut depelleret, captivavit Joannem, & in Joanne veritatem: ne scilicet importuni essent monitores qui libidinem intente turbarent. *Oâium peperit veritas*, ait sanctus Augustinus. *Non potuit a quo animo tolerari quod homo sanctus monebat,*

Marc. 6

Ser. 10. in novu ser.

quo

qui ubique salutem eorum querebat quos se monebat.

Sic igitur Joannes in vinculis positus propter Veritatem eum sit velut imago quaedam & representatio Veritatis captivatae ab his qui eam nolunt audire, nonne hi quodammodo dici possunt cum Herode Joannem in vinculis retinere?

AT vero, quae est secunda propositio, multi sic Veritatem Dei in injustitia seu in captivitate detinent. Primo id declarat Apostolus de omnibus illis Gentilibus qui, cum Deum ipso naturae lumine cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt & coluerunt, sed evanuerunt in suis cogitationibus. Deinde id ostendit etiam in Judaeis, qui cum facile possent nosse Christum Deum, non tamen cognoverunt quia cognoscere noluerunt, excaecavit enim illos malitia eorum. Sic denique haereticis, schismaticis & aliis a fide orthodoxa disjunctis, qui de Christo audiverunt: quin & ipsi Christiani omnes qui vitam & mores Evangelio conformare nolunt, nonne sciunt aut nonne scire possunt veritatem oppositam suo vivendi modo? Et tamen nesciunt, inquire ab eis utrum se errare & peccare putent? negabunt, & audebunt affirmare quod si veritatem scirent, eam sectarentur. Sed ut saepe dicendum erit, ignorantia est affectata,

disimulatur veritas, incarceratur, captivatur. Verba oris eius qui sic loquitur, ait Psalter, iniquitas & dolus. Noluit intelligere ut bene ageret. Nonne vero hi multi sunt? Nonne pene sic omnes? Nonne tu qui haec audis, audivisti beatos esse pauperes, & miseros divites, beatos esse mites & qui persecutionem patientur: infelices eos contra, quos mundus felices vocat. Tu tamen itane sentis? Itane te beatum potas in paupertate, & in indigentia? Itane te infelicem in tua felicitate credis? At ubi Veritas illa Evangelica quae id enuntiat & praedicat? Detinetur videlicet in injustitia, perperam explicatur, injuste ab unoquoque applicatur alius & non sibi. Iudicium Domino cum habitatoribus terrae, ait Propheta, non est enim Veritas. Quasi diceret, inde iudicabuntur omnes homines quod perinde vivat ac si non esset veritas. Quare detraxisti sermonibus veritatis.

Patec ergo quam Multi sint qui cum Herode Joannem in vinculis teneant, cum multi sint qui Veritatem Dei in injustitia detinent, cujus veritatis defensionem qui suscipiunt sicut representantur in sancto Joanne, sic illam qui captivant, ut dictum est, Herodem habent prototypum quem vita exprimit, licet ore detestentur. Veritatem requirit Dominus, & retribuatur abundantius faciendis superbiam.

Ps. 35.

Osee 4.

Job 6.

Ps. 30.

AD HÆC EVANGELII VERBA.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Mat. II.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Sicut scandalizans, ita peccat scandalizatus.

Id est. Sicut qui scandalizat, & avertit alium à bono, vel inducit in malum, male facit: Sic qui scandalizatur & se sinit perverti, tam male agit, & tam graviter peccat.

RATIO EST, Quia idcirco scandalizans peccat quòd sit causa peccati alterius.

Sed qui scandalizatur est essentia causa sui, & alterius peccati.

Ergo sicut scandalizans ita & scandalizatus.

Quod quidem fufius pertractatur in libro de ordine, in tertia operis parte, tomo 4. discursu 34. unde hac pauca derivamus.

PRIMA propositio praesupponit scandalum esse activum id est quo vere pervertitur alius, vel verbo, vel facto, sive id joco, sive id serio fiat. *Ambulans recto itinere, inquit Sapiens, & timens Deum, despicitur ab eo qui infanti graditur vin.* Ille despectus,

Prov. 14.

D

ctus,

Etus, ista irrisio, isti sales & joci qui in recte ambulantes contorquentur, scandala sunt quibus à recto suo itinere revocantur, quia nemo vult despici; confusio difficile toleratur, malunt non facere bonum quam faciendo erubescere. Tunc itaque dicitur scandalizans valde peccare, quia ut ait S. Bernardus. *Et defraudavit Dominum servi obsequio, & servum Domini gratia.* Hoc est agere Dæmonem & Antichristum, quorum hoc est opus & institutum, bonos pervertere; Unde illud est sancti Joannis in epistolis; *Et nunc Antichristi multi facti sunt. Cur subvertitis montes filiorum Israel, aciebat Moyses, nulli dubium est quin peccati in Deo, & scitote quia peccatum vestrum apprehendit vos.* Quale vero sit peccatum sic alibi declaratur. *Peccatum grande nimium coram Domino quia retrahant homines à sacrificio. Mandobant herbas & arborum cortices, inquit Job.* Id est, ut fuscè interpretatur sanctus Gregorius, suis irrisionibus obstruebant, & velut maligno radebant dente quidquid boni in aliis apparebat. Hinc Sapiens; *Qui pessimant plebem meam, inveniunt perditionem.* Et Dominus, *Ve illi per quem scandalum venit.* Unde & Apostolus; *Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.* Et alibi. *Portabit iudicium quicumque est ille.* Ex quibus satis liquet quam male agant qui à bono bonos avocant, aut in malum inducunt.

NUNC vero, quod est alterum hic expendendum, quam malè hi etiam aut peius agant qui se faciunt avocari à aliis, eadem prorsus Ratio est, eademque Scripturæ testimonia probant. Sunt enim perinde causa sui peccati atque alii, quibus deberent resistere, & quibus si cedunt, suà culpâ cedunt, & propterea non minus quam illi aut forte gravius punientur. Nonne est Murdus, nonne est ille hostis qui cum carne & dæmone salutem nostram oppugnat, & cui totide non minus est resistendum quam aliis? Quando Pater aut Mater ad malum aliquid vellent impellere, non essent audiendi, quacumque propositâ poena; & tu nugaces nescio quos timebis offendere? An te putares excusatum si te à carne aut dæmone impulsus ad peccandum excusares? *In quo iudicas alium, inquit Apostolus, te ipsum condemnas, eadem enim agis qua iudicas.* Nempe cognoscis malum esse quod alii faciunt, & quod molles facere, nisi te ad illud impellerent: unde

& gravius peccas, quia contra lumen & conscientiam tuam sinis te agi & perverti, sicque manifestè creaturam præfers Creatori, & confusionem quæ ab hominibus nascitur magis times quam confusionem quæ à Deo est, & quam expressa continent Christi verba, *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescat cum venerit in Majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Propterea Christus Dominus vocatur *lapis offensionis & petra scandali,* quia est causa objectiva propter quam scandala fiunt & debent tolerari, nempe propter Evangelicas Veritates quas docuit contra mundi mores & judicia; Unde & dicebat ipse Dominus, *Qui ceciderit super lapidem istum, confringatur; super quem vero ceciderit, conteratur.* Id est qui suscipit & non repellit scandalum, graviter peccat & graviter punietur. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus sprevis eos.* Tu times sperni ab hominibus, & non times à Deo sperni! Deus ille gloriæ & majestatis pro te tot probris & contumeliis affectus est, tu vero ne verbulum ullum pro illo possis pati! Certe hoc pavendum, nempe illa terra petrosa est ubi jactum semen perit, sic ipso Domino declarante; *Qui super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis; facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.* Et quod est valde notandum, non tantum inde sui est causa peccati sicut alius à quo inducitur, sed & alium scandalizat, alium confirmat in malo, quem forte convertisset si firmus persistisset in bono, depravat magis & roborat in sua pravitate; Unde illud est etiam Domini, *scandalizabuntur & in vicem tradent, id est, sese mutuo ita pervertent, ut non modo boni pervertantur à pervertis, sed & ipsi perverti à bonis deficientibus magis in sua pervertitate confirmentur.* Quo spectat illud Prophetæ, *Confortasti manus impij, ut non revertetur à via sua mala, ut viveret, Reversus nempe fuisset tua constantia & firmitate; nunc vero vix unquam revertetur quia videt probiores facile resilire, nec se putabit magis quam illos perferre posse.*

Sic ergo sicut scandalizans, ita & scandalizatus; ita uterque graviter peccat, sed quia scandalizatus minus forte agnosceret peccatum suum quam

1. Ioan. 2.

Num. 32.

1. Reg. 2.

Iob. 30.

2. Mor. 15.

Eccles. 36.

Matt. 18.

1. Cor. 8.

Gal. 5.

Rom. 2.

Lut. 9.

1. Pet. 2.

Matt. 23.

Ps. 52.

Matt. 18.

Matt. 24.

Ezech. 13.

quàm alius, idcirco ipsi est incumbendum diligentius ut quæ dicta sunt ponderet & sibi applicet, tantoque magis timeat, quanto sibi minus videt timendum. Nam si qui sint ex hac vita puniti, scandalizatus & in errorem inductus sæpe magis plectetur quam alius. Testis ille Propheta qui seductus ab alio, seductioni celsit, mox à leone devoratus est in pœnam suæ defectionis; nec de seducente narratur sumpta pœna. Vide notatum locum; & illud Apostoli transfer ad omnes occasiones dandi vel accipiendi scandalii. Itaque qua pacu sunt scdmur, Et qua edifications sunt in invicem custodiamus. Nols propter escam destrulare opm Dei: om-

nia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Id est, cum offendiculo & destructione proximi vel suæ ipsius conscientia; Omne quod non est ex suo peccatum est. Omne quod quis agit non persuasus id sibi licere, sed vel illicitum putans, vel dubitans utrum liceat, peccatum est. Adverte diligenter: & vide infra à die 16. Januarii. Feria 3. post Dominicam sextam. Et in 2. parte Feria 3. post Dom. Septuagesima. Feria 6. post Dom. primam Quadragesimæ. Feria 3. post Dom. quartam Quadrag. Feria 3. infra Hebd. tertiam post Pascha. Et in Indice Verbo Scandalum. Humilitas. Respectus humanus.

Ibid.

3. Reg. 13.

Rom. 14.

HAC HEBDOMADE, consideratur Annunciatio Angelica, ubi sex gradus humilitatis annotantur.

FERIA SECUNDA.

De primo gradu humilitatis, qui ex his verbis ducitur:
Missus est Gabriel Angelus à Deo. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Nulla re homo quantumvis gloriosâ, gloriari potest.

RATIO EST, Quia nulla res est hominis quam non ipse acceperit.

Sed nulla re acceperit gloriari potest homo.

Ergo neque re ulla quantumvis gloriosâ. Et tamen quam multi vane gloriantur.

I. PUNCTUM.

Gal. 4.

Ubi venit plenitudo temporis quo misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, primò missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen Virginis, Maria.

Expendi singula possent, sed illud imprimis quod dicitur, Missus esse à Deo Angelum, ut denotetur origo & principium beneficii Redemptionis humanæ esse à Deo. Agnosce beneficium.

Sic porro est de singulis quibusque bonis sic à Deo proveniunt tanquam rivus à fonte. De cæcis ista possideo. Dicebat unus de septem Machabæis. Atque hinc primus humilitatis gradus eruitur, cuius frequentior praxis in propofita veritate consistit. Quod nullâ re homo quantumvis gloriosâ gloriari potest.

2. Mach. 7.

Ratio est ita facilis & aperta ut ex ipsis verbis pateat, sed quia in praxi longe est aliis sensus, idcirco non est segniter expendenda.

Primo itaque illud etiam atque etiam vide quam verum sit nullâ rem esse hominis quam non ipse acceperit. Quid enim habes quod non accepisti, quærit Apostolus. Omnia bona vel sunt temporalia, vel corporalia, vel spiritualia. Estne aliquid horum quod non acceperis? Ac de spiritualibus quidem nonne illud agnoscis tanquam ex fide: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminis? De corporalibus vero, nonne cum Jobo dicis Deo, Manus tuæ Domine fecerunt me & plasmarunt me totum in circuitu? De temporalibus denique: Nonne ipse Deus: mensis est, inquit, argentum, & mecum est aurum?

1. Cor. 4.

Iacob. 1.

1. b. 10.

Agg. 2.

1. PAR. 29. Quam præclare David, & tu si sapias cum illo, Tuâ est Domina magnificentia & potentia, cuncta enim quæ in celo sunt & in terra, tua sunt: sua divitia & tua est gloria: tua sunt omnia, omnia copia de manu tua est, & tua sunt omnia.

ut ipse toties. & tam manifestè tibi significatum voluit: Propter me propter me faciam ut non blasphemem. & gloriam meam alteri non dabo. At ego, inquit superbus, mihi eam; licet non dederis, usurpabo. O detestandam superbiam.

Isa. 48.
S. Bern.
Jerm. 4 in
Nat. Dom.

II. PUNCTUM.

1. Cor. 4.
I. 3. ad
Quir. 4.
SED nullâ re acceptâ gloriari potest homo. Sic enim consequenter Apostolus, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? Sic & S. Cyprianus, In nullo gloriantur quando nostrum nobis est; Si quid enim mutuo accepisses vel tanquam depositum, an illo gloriari velles, aut posses tanquam tuo? Sic cogita de re quæcunque tua, sic esse tuam tanquam non sit tua. Nam primò non aliter accepisti, quàm ut eam reddas, quoties repetet ille à quo accepisti. Deinde quicquid sit quod acceperis magis est in potestate & dominio Dei, sive ut conservetur in esse suo, sive ut destruat & pereat, quàm in tua potestate, unde magis illud est Dei quam tuum. Denique quomodocumque tuum sit, sic est tibi datum à Deo ut proveniente inde gloriam sibi reservare, atque ita illud quantum ad gloriam sic considerare debes tanquam non tuum, quia revera non est tuum, ut inde gloriaris. Neque tu ipse ita tuus es ut de te ipso gloriam sumas, cum te tuæque omnia ad Deum velut ad finem referre debeas.

III. PUNCTUM.

NULLA re igitur homo, quantumcumque gloriosa, gloriari potest: Quia nulla res est quam non acceperit, & nulla re accepta gloriari potest, quia semper manet in dominio illius à quo eam accepit, & cui debet reddere, quoties repetet: nec denique alio fine eam accepisse potuit quam ut omnem inde proveniente gloriam illi referret. Sic præclare Apostolus, 1. Cor. 3. Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis. & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Ah quoties contra peccasti! quàm grave illud peccatum! quid inde damna! quid periculi! quid remedi! Hæc revolve attentius: audi sapientem, Noli extollere te in faciendo opere tuo. Eccl. 10. Et quidquid egeris semper illud Apostoli cogita, Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed à sufficientia nostra ex Deo est.

FERIA TERTIA.

DE SECUNDO HUMILITATIS
GRADU AD HÆC ANGELI VERBA.

Ave gratia plena, Dominus tecum. LUC. I.

VERITAS PRACTICA.

Nulla res est in humanis verè gloriosa.
RATIO EST, Quia nulla res est vere gloriosa quam non commendat Dominus.
Sed nulla res est in humanis quam commendat Dominus.
Ergo nulla res est in humanis vere gloriosa. Ex

saman in his majorem suam homines constituunt gloriam!

I. PUNCTUM.

SIC intueri animo ad volentem Virginii Angelum, ut magis eum loquentem audias; sic verò loquentem audi ut magis mireris quid non loquatur, quam quid loquatur.

ogatur. Cur enim laudaturus Virginem tot laudis argumenta silet? Cur nihil de ejus pulchritudine? nihil de ejus nobilitate? nihil de scientia? nihil de potestate? nihil denique de ceteris humanis donis quibus illa plene abundat! Esto, sit gratia plena, esto sit hoc gloriosum & magnificentum. At nonne etiam naturalibus & humanis erat plena donis? nonne hæc etiam gloriosa & commendanda? O Judicia Dei & hominum quam longe diversa sunt! Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae; neque via vestra, via mea, dicit Dominus: quia sicut exaltantur caeli à terra, sic exaltata sunt via mea à viis vestris, & cogitationes meae à cogitationibus vestris.

Sunt quidem apud homines humana hæc gloriosa, sed non sic apud Deum, unde non sunt vere gloriosa, non sunt appetenda sed potius contemnenda. Atque in hoc rerum humanarum contemptu situs est secundus humilitatis gradus qui proximè ad præcedentem accedit; hoc sensu, quod licet daremus homini multa inesse bona humana, seu naturalia, seu æquissima, non deberet tamen in iis gloriari, quia *Nihil ex illis humanis vere est gloriosum*. Cum vero sint humana illa unde homo frequentius solet haurire gloriam, idcirco attentius hæc est Veritas expendenda ad solidæ humilitatis studium.

Primum itaque illud considera quàm sit verum quod prima propositione dicitur, nullam rem esse vere gloriosam quam non commendat Dominus. Cum enim res non aliter dicatur gloriosa, quam quod communicat homini gloriam, nulla res erit verè gloriosa, nisi veram communicet gloriam. At vero quomodo veram gloriam posset communicare res humana, quam non probaret & commendaret Dominus, cum vera gloria nihil sit aliud quam ipsa Dei probatio & commendatio? Nam præterquam quod universim nulla est veritas in rebus, seu nulla res vera est nisi per respectum & relationem ad intellectum divinum, ut ait S. Thomas, prout videlicet, sic vere esse cognoscitur ab intellectu divino perfectè omnia cognoscere; hoc speciatim tamen dici potest de gloria, quod nulla sit vera nisi Deo approbante; quia omnis gloria non aliter oritur quam per approbationem alicujus judicii; & quale erit judicium, talis erit gloria; si falsum Judicium, falsa gloria; si verum judicium, vera gloria. Quodnam est autem verum judicium?

nisi Divinum? ac proinde quædam erit vera gloria, nisi quæ ex illo vero Judicio formabitur & procedet? Unde manifeste patet nullam rem esse vere gloriosam quam non commendat Dominus; & in hunc sensum dixisse Apostolum, *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicet, aut ab humano die; qui judicet me, Dominus est. Et tunc laus & gloria erit unicuique à Deo cum judicium de unoquoque proferat Deus*. Vide locum Apostoli & eundem affectum induc.

I. Cor. 4.

II. PUNCTUM.

Sed nulla res est in humanis quam commendat Dominus.

Si spectarentur res creatæ & humanæ ut sunt creatæ & permixtæ à Deo, sanè dicendus esset Deus illas probare & commendare: *Diligit enim omnia que sunt, & nihil odit eorum que fecit*, ut ait sapiens; Sed si considerentur ut spectantur ab hominibus ut sunt merè humanæ & transitorie, nulla proflus habita ratione finis ad quem referri debent; tunc vere dici potest nullam esse in humanis quam sic commendat Dominus, sicut eam commendant homines; cum aperte de omnibus pronunciet; *Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole?*

Sap. 11.

Eccl. 1.

Et Christus Dominus, quare omnia bona mundi contempsit & contemnenda docuit, nisi ut hoc ipsum manifestissime declararet! O formidandam Domini sententiam in res omnes humanas; *Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum!* O quàm præclare hoc intellexit qui dixit: *Qua mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam.*

Luc. 16.

Phil. 3.

III. PUNCTUM.

Res igitur nulla est in humanis vere gloriosa; Quia nulla est gloriosa quam non commendat Dominus, & nulla est in humanis quam commendet, sicut spectatur ab hominibus, humano tantum & naturali fine; Imo eas valde improbat seu potius eos qui in illis acquie-

D. 3

quie-

155.

1. p. 9. 16. a. 2. 6.

Luc. 12.

quiescunt. Stulte! hac nocte animam tuam repe-
runt à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est
qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.

Ier. 9.

Contra eos autem qui inde gloriantur; Hæc
dicit Dominus, Non gloriatur sapiens in sapien-
tia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua,
& non gloriatur dives in divitiis suis. Sed in hoc
gloriatur qui gloriatur, scire & nosse me, quia Ego
sum Dominus, qui facio misericordiam & iudi-

cium & iustitiam in terra. Hæc enim placens
mibi, ait Dominus, Quasi diceret, alia non ita
placent ac probantur, in quibus magis solent
gloriarì homines. Non est bona gloriatio vestra.
inquit Apostolus. Tu tamen hoc unum penc-
bonum ducis! Exardece contra; & ora cum Sa-
piente; Duorogavi te, ne deneges mihi an-
tequam moriar; Vanitatem & verba mendacis
longe fac à me.

1. Cor. 4.

Prov. 30.

FERIA QUARTA.

DE TERTIO HUMILITATIS GRADU QVI APPARET IN TURBATA VIRGINE, AD LAUDES SUAS.

*Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogita-
bat qualis esset ista salutatio. LUC. I.*

VERITAS PRACTICA.

Ad laudes nostras tremere potius convenit,
quàm exultare.

RATIO EST, Quia in tentatione & periculo
peccati tremendum est potius quàm exultan-
dum.

Sed laudes nostra, nostra sunt tentationes; nostra
sunt peccandi pericula.

Ergo in his tremendum potius quàm exultan-
dum Quod tamen rarum est.

I. PUNCTUM.

PRIMO illud est supponendum quod
ait S. Bernardus de Beatissima Virgine,
turbata est, sed non perturbata. Deinde
audiendi sunt sancti Patres atque Inter-
pretes, qui hanc turbationem ad humilitatem
ejus præcipue referunt. De apparitione Angeli
non fuit turbata, inquit Lyranus, sed de salutatio-
ne insolita, quia nihil mirabilius est vere hu-
mili, quàm sua exaltatio. Erat cogitans cum ve-
recundia quia pavebat, ait S. Ambrosius. Sed

quid pavebat? Laudes scilicet suas. Licet enim
ab his, neque ab ullo objecto induceretur in
peccatum: sic se tamen ubique gerebat & con-
tinebat, sicut si peccatis esset obnoxia, ut nos
scilicet peccatores sic disceremus nobis cavere
sic disceremus humilitatem conservare, tre-
mendo potius sicut Illa tremuit, ad Laudes no-
stras, quàm exultando, sicut cæteri hominum
solent exultare, atque ut ita exultent se mutuis
celebrant laudibus: Tenent tympanum & cy-
charam, & gaudent ad sonitum organis

Iob. 21.

Tu contra contemplare attentius Veritatem
propositam, cujus Ratio est evidens, quia in
tentatione & periculo peccati, tremendum no-
bis est potius quàm exultandum. Nam si cre-
dimus peccatum esse malum ut fides docet; &
si ad apprehensionem mali tremimus, ut natu-
ra experitur, quid sequitur nisi timor & tremor
in tali periculo, Quasi à facie colubri, vel Leo-
nis, & sicut agebat David, Timor & tremor ve-
nerunt super me. Licet vero non sentiat ille
tremor quia peccatum non est malum sensibile
perinde tamen in effectu sentiri suo modo de-
bet, sicut in affectu. Si Dominus ego sum, ubi est
timor meus? Responde, & nisi sit timor in peri-
culo

Eccles. 21.

Psal. 54.

Eccl. 1. culo peccati, responde nullum in te esse timorem Dei, quia ut Ipse ait in scripturis: *Timor Domini expellit peccatum.*

II. PUNCTUM.

Prov. 27. **S**ed laudes nostra, nostra sunt tentationes, nostra sunt peccandi pericula. Sic aperte Sapiens; *Quomodo probatur in confessorio argentum & in fornace aurum, sic probatur homo, ore laudanti.* Et S. Augustinus, *tentamur*, inquit, *his tentationibus quotidie Domini, sive cessatione tentamur, quotidiana fornax nostra est humana lingua.* Et rursum: *Facta qua immo: se sunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis.* Quid est enim tentari nisi sollicitari & impelli in peccatum? At quis neficiat ex auditis Laudibus facile esse lapsum in superbiam, in vanitatem & praesumptionem animi, quae cum manifestissime peccata sint, consequens est ut Laudes quae nos in illa inducunt, tentationes sint & peccandi pericula.

Becl. 11. *Hom. 59.* *Isa. 7.* Quamobrem quod dixit Sapiens, *Ante mortem ne laudes hominum quemquam*, sic S. Maximus apte interpretatur, *Ne laudantem adulatione moruat, nec laudatum tentet elatio.* Unde & Propheta graviter. *Popule meus qui te beatum dicunt, ipse te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Ah caeci & miseri! sic volumus decipi & dissipari!

III. PUNCTUM.

Prov. 24. **A**d laudes ergo nostras tremere potius convenit quam exultare. Nemo enim sanus exulteret in damni imminentis periculo: Nemo tum sapiens, non sibi caveat, cum vel in hoc sapientis & stulti ponatur discrimen. *Sapiens,*

inquit Scriptura, *timet & declinat à malo, stultus transiit & confidit.* Sic sapienter S. Augustinus: *Contristor laudibus meū, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam minor bona & leviora pluvia asstmanur, quam asstmanda sint.* Itemque alibi ad rem nostram aptissime: *Laudes ista vestra gravant nos potius, & in periculum mittunt, toleramus illas, & tremimus inter illas.*

Sic S. Gregorius: *neceffe est, inquit, ut cūm audientium utilitati non proficet, mentem nostram fama laudabilis non elevet sed fatiget.* Quo de argumento Idem fulsime in illud Jobi, *si vidi solem cum fulgeret, & Lunam incidentem clare, & latatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quia est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum: quae omnia applicantur vanitati & superbiae.*

Itane vero sentis tam grave esse peccatum? Hic duplex error est quem committis; vel enim non putaste ita superbum & vanum; vel tuam superbiam & vanitatem tam grave esse peccatum. Contra vero audi Sanctum Jacobum, *Nunc autem exultatis in superbiis vestris, omni exultatio salu maligna est.* Expende singula. Sicut enim tuum est quod dicit, *exultatis*, sic plane quod adjungit, *omni exultatio salu maligna est.*

10. Conf. 37.

Serm. 5. de verbis Dom. 1. 22. Mor. 9.

in c. 31. Jobi.

Facet. 4.



FERIA

FERIA QUINTA.

DE QVARTO HVMITATIS GRADV CONSIDERANDO IN HIS MARIE AD ANGELVM VERBIS.

*Quomodo fiet istud, quoniam virum non cog-
nosco. LUC. 1.*

VERITAS PRACTICA.

Humilitas ita pugnat cum honoribus, ut non repugnet Obedientiæ.

RATIO EST, Quia humilitas ita pugnat cum honoribus, ut non repugnet Divinae Voluntati. Sed si repugnaret Obedientiæ, repugnaret Divinae Voluntati.

Ergo ita pugnat cum honoribus, ut non repugnet Obedientiæ. Quod humilitatis Cultoribus imprimis considerandum est.

I. PUNCTUM.

QUOD erat Annuntiationis Angelicæ præcipuum caput de concipiendo & pariendo Altissimi Filio, postquam audivit humillima virgo: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quasi diceret si hoc ita est ordinatum à Deo ut concipiam filium non repugno divinæ ordinationi, & parebo statim atque cognovero quomodo Virgo possit concipere sine viro. *Faciendum credit, inquit S. Ambrosius, quæ quomodo fiet, querit. Legerat, Ecce Virgo concipiet, ideo futurum credidit; sed quomodo fieret, non legerat.*

Hinc autem eruitur Veritas valde practica, plurimumque consideranda. *Quod ita humilitas pugnat cum honoribus, ut non sit pertinax nec repugnet Obedientiæ. Quia videlicet non repugnat Divinæ Voluntati. Quid clarius? Quomodo enim humilitas virtus esset, & acceptissima Deo, si Deo repugnaret? Aut quomodo fieri*

posset ut Deo repugnaret, cum non pugnet tam acriter cum honoribus, nisi quia persuasum habet honores pugnare cum Deo? Sive ut clarius dicamus, non repugnat honoribus, nisi ut non repugnet Deo, acceptando honores quos ipse in Scripturis tam sæpe improbat. *Noli querere à Domino ducatum: neque à rege cathedram honoris. Nolite in sublimia tolli.* Hinc S. Augustinus, *Imperus nobis & in hoc genere continentiam, Da quod jubes, & jube quod vis.* Tu nosti de hac re ad te gemitum cordum mei, & flumina oculorum meorum. Ne scilicet plus vel minus honoris quam velle Deum, sibi assumeret. Itane tu gemis propterea?

Ecc. 7.

Luc. 12.

10. Conf.

37.

II. PUNCTUM.

Sed si Humilitas repugnaret Obedientiæ, repugnaret Divinae Voluntati.

Non est enim alia certior via cognoscendæ divinæ Voluntatis, quam per Obedientiæ quæ legitimis redditur Superioribus, per quos nos ita certo Deus regit. *Vt qui potestatis resistat, inquit Apostolus, Dei ordinationi resistat; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quæ quidem ab Apostolo dicta sunt de iis principibus, quorum vita tota erat impietas, ut ait S. Basilus, qui inde manifeste colligendum docet, quam potiori iure dicendum sit, illum ordinationi & voluntati divinæ non obedire vel resistere, qui Præpositis, quos vocat spirituales, non obediverit vel resistit.

Rom. 13.

Cap 26

Const. mon

Neque alia de causa dictum putat sanctus Gregorius à Scriptura, *Melior est Obedientiam quam victimas, & susculcare magis quam offer-*

1. Reg. 15.

offer-

offerre a lipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus Idololatria, nolle acquiescere. Sic enim scribit in hæc verba: Qui repugnant, quia divinam voluntatem se scire melius aestimant: Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare, quia velut contempto divino altari ad aras Demonum responsa percipiunt, dum cordis sui praestigiosis ac superbi ad inventionibus credunt, & salubribus Pralatorum consiliis contraria sentiendo, refragantur. Ex quibus quidem verbis non modo patet quàm verum sit quod qui repugnet Obedientiæ, repugnet Divinæ Voluntati; sed quàm grave sit & perniciosum, sic repugnare Expende hanc gravitatem. Reformida periculum, Et propterea vide, si vacat quæ de hoc ipso scripturæ loco fusius habentur in 2. parte, sabbato infra Hebdomadam quartam Paschæ.

III. PUNCTUM.

HUMILITAS igitur sic pugnat cum honoribus, ut non repugnet Obedientiæ, Ne repugnet divinæ voluntati, quæ per obedientiam declaratur. Quæ quidem cum Deo repugnantia tam aliena est à vera humilitate, ut quod scribit S. Bernardus, Totius humilitatis summa in eo videatur consistere, si voluntas nostra Divinæ Voluntati subiecta sit; sicut ait Propheta, nonne Deo subiecta erit anima mea?

Serm. quod voluntas in eo videatur consistere. si voluntas nostra Divinæ Voluntati subiecta sit; sicut ait Propheta, nonne Deo subiecta erit anima mea?

1. p. pastor. 6. 6.

In quam sententiam sic apte S. Gregorius: Sunt nonnulli qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis quibus imparis se aestimant, preferantur; quorum profecto humilitas si ceteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cum ad respiciendum hoc quod utiliter subire precipitur, pertinax non est. Neque enim vere humilis est qui superni nutus arbitrio ut debeat praeesse intelligit, & tamen praeesse contem-

nit: sed divinæ dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cum sibi regimini culmen imperatur, si iam donis praeventus est quibus & aliis praeest & ex corde del et fugere, & in vitio obedire, Quod sequenti capite confirmat exemplo Moysis, qui praeesse, inquit, tanta multitudini & noluit & obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumera sine trepidatione susciperet, & rursum superbus existeret, si Authoris imperio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique subiectus, & praeesse populis semetipsum metiendo noluit, & tamen de imperantis viribus presumendo consentit. Id ipsumque repetit in epistolis, Nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inveniri. Unde indignus ego ad suscipienda Episcopatus onera, iussioni Omnipotentis Dei, vestraque reverentia subdidi.

6. 7.

Ep. 31.

Sic denique ipse Christus Dominus, accipiens, ut ait S. Petrus, à Deo Patre honorem & gloriam, docuit nos sic esse humiles in honoribus fugiendis & acceptandis, ut in utroque univocam spectemus Dei voluntatem. Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, prout ipse Dominus ordinavit.

2. Pet. I.

2. Cor. 6.

Itane te comparas ad utrumque indifferenter ex hoc motivo? Vide ne superbus sis in ipsis honoribus aliquando fugiendis: & quanto magis in acceptandis? Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo, Cave.

Eccles. 19.



FERIA SEXTA.

DE QUINTO HUMILITATIS GRADU,
QVI EST MAXIME PROPRIVS.
BEATISSIMÆ VIRGINI:

*Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum
tuum. Luc. I.*

VERITAS PRACTICA.

Quò quis est maior, eò & humilior.

RATIO EST, Quia quò quis se magis obstric-
tum Deo sentit, eò est humilior.
Sed quò quis est maior, se magis obstric-
tum Deo sentit, si vere sentit.
Ergo & est humilior. Aut certe humilior esse de-
bet, vel maior esse desinit.

I. PUNCTUM.

VIDE humilitatem; Ancillam se dicit
qua Mater eligitur; dicebat humilita-
tem proferre, qua Humile erat pari-
tura. Sic paucis S. Ambrosius. Fufius
vero S. Bernardus, admirans quod in Actis A-
postolorum non nisi post alias mulieres no-
minatur, Itane, inquit, mulierum sese ultimam
exhibebat ut novissima omnium poneretur? Et
post pauca, Cùm Maria, quando major erat,
humiliaret se, non modo de omnibus, sed & pra
omnibus; merito facta est novissima prima, quã
prima eùm esset omnium, sese novissimam facie-
bat. Merito facta est omnium Domina, qua se
omnium faciebat ancillam. Merito denique super
Angelos exaltata est, qua & infra viduas & pœ-
nitenes, infra eam de qua septem ejecta fuerant
dæmonia ineffabili sese mansuetudine inclinabat.
illud videlicet legerat quod ait Sapiens, quanto
magnus es, humilia te in omnibus, & coram
Deo inveniens gratiam.

Atque hinc nata Veritas modo expenden-
da, *Vi quò quis est maior, eo sit humilior; Quia*

videlicet quò quis se magis obstric-
tum Deo sentit, eò esse humilior decet. Nam cum
humilitati hoc sit maxime proprium & essen-
tiale ut hominem subijciat Deo, quid poten-
tius ad hanc subiectionem magis promoventi-
dam quam si quis se agnoscat magis illi obstri-
ctum? Tum enim si generosus est animus, gra-
titudinem movet ad agnoscendum Benefa-
ctorem suum: aut si degener & ignarus est,
saltem timet ne eò gravius peccet & puniatur
quò majorem habebat obligationem non pec-
candi, *Quem maxime diligebam, adversatus est
me! Hoc nimis inhumanum.*

Iob. 19.

Adde quod cum proclivius sit & periculo-
sius & multis & magnis acceptis donis super-
bire & efferi, periculum illud cautio-rem me-
rito quemquam reddat & sibi attentorem, ne
labatur; unde illi qui vacat proximo recupe-
rando, maxime commendatur, *Attende tibi
ne incidas.*

Ecc. 29.

Denique cùm Dei opera sint perfecta, quo-
ties augetur Charitas, toties augetur necesse
est humilitas, velut radix in arbore, aut velut
pedes in humano corpore; cum alioquin cæ-
tera superposita ruerent, & fieret illius ho-
minis ruina magna. Hinc apte sapiens; *Qui
altam facit domum suam, quare ruinam: Nisi
scilicet par fundamentum jacet. Itane tibi pro-
vides!*

Prov. 17.

II. PUNCTUM.

SED quo quis est maior, eo se magis obstric-
tum Deo sentit, si vere sentit & judicat. Nam un-
de est illa magnitudo, nisi à Deo? Non po-
test.

est.

Ioann. 3. test homo accipere quicquam, inquit S. Joannes, nisi fuerit ei datum de cælo. Et quomodo quis esset magnus nisi hoc agnosceret, quod parvos ne quidem latet? Quomodo autem id agnosceret, nisi se propterea magis obstrictum sentiret, cum mera sit Dei Bonitas & Misericordia, quod sit illis donis præventus? *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & ipse sunt omnia, Ipse gloria in sæcula, Amen.* Nonne id agnoscis cum Apostolo? Vis illud etiam sancti Augustini dictum: *Quia merita tua non præcesserunt: beneficia Dei te præueniunt.*

III. PUNCTUM.

Hom. 9. in Evang. **Q**uò quia est igitur major, ed & humilior. Quia magis est obligatus Deo, siue ob accepta bona. siue ob eorum rationem reddendam. *Cum enim augetur dona,* inquit S. Gregorius, *rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad seruientium promptior quisque debet ex munere, quanto se obligationem conspicit in reddenda ratione.* Et licet illa reddendæ rationis abesset obligatio, sola Dei maior cognitio & Charitas hanc maiorem humilitatē secum aduheret, quia quò cer-

te Deus magis cognoscitur & amatur, eò minus coli & amari quàm par est, agnoscutur, ac proinde magis se humiliat, qui magis amat; Unde est illud Cantici Canticorum; *si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione, quasi nihil despiciet illam* Sic qui ardentiores sunt in Charitate, ac propterea Seraphim dicti sunt, sunt humiliores & præ humilitate, caput pedesque velant, *ut quod deest affectui,* inquit S. Joannes Chryostomus, *hoc uelo obtegant.*

O quam longe sumus ab hoc statu, ait idem Sanctus, si quid forte sanctius fiat, totum hoc exhaurit superbia! Sunt nimirum quam pluri similes illi Statuæ, cujus caput erat ex auro optimo pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære: sed pars quædam pedum fictilis, ubi percussa statua statim corrui, & comminuta est. Obruuntur scilicet Dei donis, qui non inde magis humiliantur, ut illa sustineant & ipsi sustententur. *Dejecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem! subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.*

SABBATO.

DE SEXTO HUMILITATIS GRADU,
IN VERBO INCARNATO.

Et Verbum Caro factum est, & Habitat in nobis.

Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Se antepōnit Christo, qui se omnibus non postpōnit.
RATIO EST. *Quis qui se illi præfert quem Christus sibi præponit, se antepōnit Christo. Sed qui se omnibus non postpōnit, se illi præfert quem Christus sibi præponit.*
Ergo & se antepōnit Christo; Quodcum sit intolerandum, plane necesse est nos infra omnes abijcere.

I. PUNCTUM.

STATIM atque sanctissima Virgo verbis Angeli, seu Deo sic ordinanti, ut esset Mater Filij, consentium præbuit, cum **VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS.** O admirabile commercium. Contemplare omnia pensulatim. Corpus humanum ex purissima Carne & Sanguine Immaculæ Virginis formatur

Colof. 1.

Ph. 1. 2.

Eman. sa.

matur à Spiritu sancto, seu à rota Trinitate per suam maximam Bonitatem. Anima ex nihilo creatur, sicut & cætera, quæ illi Corpori infunditur; Verbum Dei qui est Filius Patris, secunda Persona sanctissimæ Trinitatis, se illi Humanitati tam perfecte unit ut ex duabus naturis, divinâ & humanâ, exurgat una Persona quæ dicitur JESUS CHRISTUS, verus Deus, verus homo, sua non deferens dum assumit nostra. *O Mysterium quod fuit à saculo & generationibus absconditum, nunc autem manifestatum sanctu eius! Admirare, adora, & illud Apostoli penitus tibi infige, Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, non qua sua sunt singuli considerantes, sed qua aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed SE METIPSUM EXINANIVIT formam servi accipiens; Id est. se ita dimisit & humiliavit infra omnes homines, sicut servus infra Dominum suum, occultans quod erat & assumens formam, quæ præ divinâ nihil erat. Sic te ipsum humiliâ; Sic plane ita necesse est, ut nisi te postponas omnibus, te anteponas Christo. Quod quia nolles, si crederes ita verè esse; vide accuratè quàm sit verum ex proposita Veritate.*

Ac primo illud quod dicitur qui se illi præfert quem Christus præponit, se Christo antepont; non aliter est probandum quam ex ipsis probatis terminis. Quid enim evidentius? revolve propositionem: Quid dubij? nonne si ambulando præcederes quem proxime sequitur Christus, Christum præcederes? sic plane si animo, si cognitione tua te illi præfers quem sibi Christus facit præcedere, præcedis ipsum Christum. *O rem omnino miram, & tamen veram!*

II. PUNCTUM.

Isa. 53.

Ps. 21.

SED qui se omnibus non postponit, se illi præferre quem Christus sibi præponit.

Duo hic essent probanda. Primum quod Christus se postposuit omnibus. Sed vel ex Scripturis id aperitissimum est, quibus dicitur novissimus virorum, verus, & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebi; Vel reservatur fufius exponendum in 2. parte ubi de eius comparatione cum Barabba: unde quod restat alterum sic declaratur.

Nam qui se omnibus non postponit, se præponit vel adæquat aliquibus, sive plures illi sint, sive unus, nihil refert, Esto sit vel unus cui te præferas, tam vere te illi præfers quem sibi Christus præponit, quàm verum est se Christum postponere omnibus, nam ille unus inter omnes recensetur quibus se Christus postponit, aut non se postponit omnibus. Sicut si unus esset pro quo non esset Christus mortuus, non esset mortuus pro omnibus, ita plane si unus esset quem sibi non præferret, non se postponeret omnibus, unde tam necesse est fateri Christum se illi postponere cui te præfers, quàm non disiteris illum se infra omnes abjecisse. Atque ex consequenti tam certa est propositio, Quod qui se omnibus non postponit, se illi præfert quem Christus sibi præponit, ut de ea minus dubitare possis quam Christus sese exinaniverit formam servi accipiens. Dubitasne de hac eius humilitate? Dubitasne Christum se fecisse humillimum & postremum omnium? Non audivisti quod in humilitate iudicium eius sublatum est? id est prævilitate & contemptu, jus ei non est redditum, cum accusaretur: quod tamen nulli negatur hominum.

III. PUNCTUM.

SE igitur Christo antepont, qui se omnibus non postponit, cum se illi antepont quem sibi Christus tam vere præponit, quam se vere postponit omnibus. Quod de se fatetur ingenuè sanctus Bernardus: *Quoties, inquit hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. O quanta inde necessitas sui humiliandi! O quam sapienter ille alius dicit qui de Imitatione Christi & de contemptu mundi scripsit: Non nocet si omnibus te supponas. nocet autem plurimum si vel uni te præponas. Hoc ante pridem sic S. Joannes Chrysostramus: Quod si recte sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabitur, sed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus; Et hoc dico non de nobis qui innumeris sumus immeriti peccati, sed etiam si quis sibi plurimorum bonorum gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat quod omnium sit postremus; nulla ei futura utilitas est ex omnibus suis bonis operibus.*

Sanctus quoque Bernardus præclare admouendum: *Si in quoniam statu, inquit, unumquemque nostrum habeat Deus, liquido cognoscemus,*

Ad. 2.

Hum. 1. super mis-
sus est.Lib. 1. de
Imit. Ch.
c. 7.Hom. 33. in
Genes.Serm. 37.
in Caut.

nec

nec supra sane, nec infra sedere deberemus, veritati omnino acquiescentes. Nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ita ut nemo scias si dignus sit amore vel odio : iustius rursusque profecto iuxta ipsius veritatis consilium, novissimum nobis locum eligimus. Non est ergo periculum quantumcumque te humiliter; est autem grande malum horrendumque periculumque; si vel modice plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te praeferas. Noli te comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Et propterea non mediocrem, non vel penultimū, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit, sed recumba inquit, in novissimo loco

ut solus videlicet omnium novissimus sedeat, teque nemini non dico praeponas sed nec comparare praesumas. Luc. 14.

Hæc ex multis pauca ; unde satis videas quid deploras pro præterito, & quid in futurum statuas. *Excelsi statura succidentur, Isa. 10, & sublimes humiliabuntur.* Vide in Indicibus, Verbo Humilitas.

